



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt VI. Alexand. III. (a) Lingon. Episcopo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

Carthag. 3. can. 28. ibi : *Episcopi trans mare non proficiantur, nisi consulto prima Sedis Episcopo sua cuiusque provincia, ut ab eo sumere possint formam, vel commendationem.* Illustrat Antonius Augustinus in *epist. lib. 14. tit. 5.* Unde Ecclesie Patres non solum statuerunt, ut absque litteris dimissoris nemo ab alieno Episcopo ordinetur,

ut late probavi in *cap. litteras, de tempor. ordin.* verum ut jam ordinatus ad ministrandum, seu sacrificium Missae celebrandum in aliena parochia non admitteretur absque litteris commendatiis, ut probavi in *cap. 1. de cleric. peregrin.* ex quo commentario praesens petendum est.

CAPVT VI.

Alexand. III. (a) *Lingon. Episcopo.*

Conquerente nobis R. presbytero (b) accepimus, quod G. ab eo pro Ecclesia sua, de qua, sicut dicitur, vitae necessaria vix percipere potest, annuatim viginti sol. extorquere conatur, asserens beneficium (c) illud in eadem Ecclesia sibi fuisse collatum, quamquam eidem Ecclesiae, sicut accepimus, non deserviat, & alia beneficia sibi sufficientia (d) habeat, & possideat. Quoniam igitur indecens est, & non consentaneum rationi, ut idem, cum alia ecclesiastica beneficia sibi sufficientia habeat, & possideat, ab Ecclesia, cui non (e) deservit, beneficium quaerat: f. t. per A. f. m. quat. si tibi constiterit, quod vel G. habeat ecclesiastica beneficia sibi sufficientia, vel quod eidem Ecclesiae non deserviat, sibi super praescriptum beneficium silentium imponas, ap. rem.

NOT Æ.

(a) *Lingon.* ] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* De Ecclesia Lincontensi nonnulla notavi in *cap. 8. de rescriptis.*

(b) *Presbytero.* ] Qui ordinatus fuit ad titulum servitii in ipso beneficio, ex petitione G. proprii parochi; unde tenebatur in ea ministrare, *cap. final. de iure patron. cap. final. de immun. Eccles.* Praestanda tamen ei erant G. necessaria alimenta, *cap. per tuas, et 3. de simonia.*

(c) *Beneficium illud.* ] Licet inspecta juris communis dispositione, omne beneficium, quan-

tumcunque simplex, haberet annexum onus residentiae, ut probantur Azor *part. 2. instit. lib. 7. cap. 3.* Petrus Gregor. *de benef. cap. 7.* Covar. *lib. 3. var. cap. 13.* Lotharius *de re benef. lib. 3. q. 27. num. 8.* tamen quia plura beneficia ex eis congruam sustentationem plerumque non continent, ideo per generalem consuetudinem introductum est, ut in huiusmodi beneficiis nulla residenti necessitas detur, ut late probat Hurtado *de resid. tom. 1. lib. 6. per totum.*

(d) *Sufficientia.* ] Juxta ea, quae dabimus in *cap. de multa, de praebend.*

(e) *Non deserviat.* ] Juxta adducta supra in *cap. 3.*

CAPVT VII.

(a) Alexander III.

De cetero, quia dignum est, & conveniens, ut Ecclesiae tuae Canonici, donec circa te in tuo servitio morantur, communitatis portionem recipiant; praesenti scripto statuimus, ne Canonicis tuis, donec in servitio tuo fuerint, quidquam subtrahi, vel auferri debeat, quod sibi de beneficio communitatis debetur, nisi forte (b) vicetualia sint, quae non consueverunt absentibus exhiberi.

NOT Æ.

(a) *Alexander III.* ] Ita legitur in *cap. 4. de praebend.* in prima collectione; nullibi tamen exprimitur cui rescribat Alexander: illud tantum ex principio textus deducitur, in praesenti tantum referri partem alterius textus. Forlan fragmentum hoc spectat ad textum in *cap. de casero, §. de transactionibus*, ubi alias partes ipsius decretalis congregimus.

(b) *Vicetualia.* ] Consonat textus in *cap. unic. hoc tit. in 6.* ibi : *Quae alias manualia beneficia, seu vicetualia appellantur.* Distributiones quotidianae, D. D. Gonzal, in *Decretal. Tom. III. Pars I.*

dianae vulgo dicuntur, quia fiunt in vices divisionis quotidianae, ut vocantur in jure civili, *l. si quid relictum, 17. l. civitatibus 121. de legat. 1. l. cum quidam, 23. ff. de annuis legat.* quarum etiam in templis Gentilium usus probatur ex veteri inscriptione, quam refert Roderic. Caro in *antiquis. Hispal. cap. 3.* licet improprie vicetualia in praesenti importent panes praebendarios, qui singulis diebus, & certis horis, id est, viritim praebentur, *cap. 2. de decimis, in §. compil. ibi: Nec multum dubii remanet de panibus illis, quos dicitis in vestro vulgari requassus; cum sicut accepimus, tanquam certi reddantur.* Et certis temporibus